



**Processus Juridicus contra sagas & veneficos, Das ist:  
Rechtlicher Proceß/ Wie man gegen Unholdten vnd  
Zauberische Personen verfahren soll**

**Goehausen, Hermann**

**Rintelii ad Visurgium, 1630**

VII. An unius Sagæ denunciatio, absq[ue] indiciis aliis, sufficiat ad  
torquendam personam denunciata[m].

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64982)

*an ex eo prob. poss. sep. deludi Sagas.* 119

exhiberi, quæ simulabat, nempe sicuti dixi, Dianam aut Herodiadem Numen aut veras bestias tam celeriter se moventes &c. Igitur quod ad hanc translationem attinet, non deciditur quid Diabolus facere possit, sed quid de facto cum istis mulierculis egerit, quæ non poterant, nisi in somnis, talia perpeti, nec nunquam hæc revera illis contingere. Sed de hac quæstione plus satis: pergo ad ea, quæ magis ad forum *ICTorum* pertinent.

### QUÆSTIO VII,

*An unius Sagæ denunciatio, absque  
iudiciis aliis, sufficiat ad torquen-  
dam personam denuncia-  
tam?*

**E**st hæc de *Nominatione Complicum* gravis ac ferè præcipua difficultas, ex iis, quæ hodie circa processum adversus *Sagas*, in quæstionem veniunt; & occurrunt hac de re tres quæstiones principales, 1. An unius nominatio per se sit iudicium sufficiens ad torturam? 2. an

H 4

plu<sub>3</sub>

120 *Qu. VII. An unius Sagæ denunc.  
plurium sufficiat vel ad torquendum, vel 3. et  
iam ad cōdemnandum? De singulis dicam.*

Quod attinet quæstionem de unius  
complicis nominatione, de ea sic sentio.  
Nunquam unius Sagæ seu strigis denun-  
ciatio, quantumvis per torturam confit-  
mata, absq; aliis iudiciis, sufficit ad tor-  
quendam personam denunciata, quæ  
communis est sententia, teste *Farinac. q. 43.  
n. 27. 75. 145. & 155. Claro. lib. 5. §. fin. q. 21. n.  
9. Menoch. de arbitr. iud. cas. 474 n. 43. Berta-  
zol. cons. 310. per tor. & cons. 341. n. 25. Delrio.  
lib. 5. disq. Mag. append. 2. q. 1. concl. 1. M.  
Ant. Peregr. consil. 2. quod est de Magia & or-  
dine in hoc flagitio procedendi criminaliter. n.  
1 & seqq.* plures pro hac sententia allega-  
re haud opus: *Farinacius, Delrio & Peregrinus*  
citant etiam *Bartolum, Baldum, Bossium,  
Salicetum, Marsilium, Mascardum, Socinum,  
Decium, Cravettam, Rolandum, Boerium &  
alios.* Addit *Delrio* auctoritatem *Clarif-  
simarum Academiæ Bononiensis, Pata-  
vina, Friburgensis, & Ingolstadiensis,* quæ an  
1602. ita consultæ responderunt.

Est verò huius sententiæ hæc ratio,  
quia

quia etiam in criminibus gravioribus & atrocissimis non est incipiendum à tortura, absq; legitimis iudiciis præcedentibus per *L. i. in pr. de quest. & L. milites C. eod. tit. Clarus § fin. q. 64. n. 9. Malcard. concl. 1391. n. 4. de probat. Farinac. q. 37. n. 74. & n. 86.* Legitimum v. iudicium non est unica unius complicitis nominatio qui est infamis, testis enim infamis iure inhabilis censetur ad probandum, & fulciri debet aliis adminiculis, ut iudicium faciat, etiam in criminibus exceptis, ex textu in *L. sicuti. C. d. quest.* Vide multis Farinac. *d. quest. 37. n. 58. & q. 36. n. 68. & 70. Delrium. d. q. 1. concl. 1. Peregrin. d. consil. 2. n. 3. & 4.*

Et ergo reus de seipso confessus adeoque perditus & infamis solus non facit fidem ad effectum torturæ: nihilominus præcitati. *Dd.* volunt quando ad unius nominationem accedunt alia adminicula & indicia, tunc aliud dicendum esse, de quo elegan. Bertazzol. *consil. 310 per tot. & consil. 341. num. 25. Farinac q. 43. n. 145. & 155.* ubi concludit nominationē rei confessi in istis exceptis

H 5

face-

facere indicium ad torturam, si præterea concurrant alia adminicula & præsumptiones, atq; sic declaranda esse dicta ab eo lib. n. 43. monet Peregrin. d. consil. 2. n. 4. adde Mascard. concl. 1317. n. 52. de probat. debent tamen *meo iudicio*, hæc adminicula, ad istum effectum non esse vulgaria, sed indicia probata *bewehrte Anzeige* / five argumenta evidentiæ, ut bene monet Mascard. concl. 1311. n. 14. *uncl. n. 35.* ubi ait, cum uno solo complice timoratus iudex semper requirat indicia non levia, sed magna & urgentia, & post eum *Delr. lib. 5. sect. 3. §. ad torturam.*

Atquin inquires., cum reus de se confessus in criminibus exceptis interrogari possit de sociis, inutilis foret de consortio sociorum hæc interrogatio, si unius indicatio non sufficeret ad torturam absque aliis indicis; Verum bene respondent *16ti Patavini* apud M. Ant. Peregr. d. cons. 2. quod ipse Anno 1602. nomine Facultatis Patavinæ in causa quarundam maleficarum feminarum ad *Serenissimi Elect. ac Princ. Maximiliani, Comitis Palatini Rheni*

Joeni ac Bavaria Ducis conscripsit, illud in  
questione esse, nimirum quia jura per-  
mittunt reum de se confessum in istis ex-  
ceptis interrogari posse de aliis, an igitur  
sua nominatio sufficiat ad torturam abs-  
que aliis adminiculis, quod *communiter* &  
rectè negatur, neq; tamen ideo hanc in-  
terrogationem esse inutilem consequi-  
tur, etenim fatentur *communiter* omnes  
testantibus *ICTis Patavinis d. loc.* nomina-  
tionem unius rei confessi sufficere ad in-  
quirendum adversus reum nominatum, &  
ad transmittendum inquisitionem reo,  
ut personaliter comparere debeat. Cla-  
rus. *d. q. 21. n. 2.* Menoch. *1. presunt. q. 88. n.*  
*12 & 13.* & quos allegat Berlich. *part. 4.*  
*concl. pract. 4. n. 112.* quod tamen secus est  
in aliis criminibus non *exceptis.* Idem  
Clarus. *d. q. 21. n. 6.* & quod latius aliis ad-  
ductis declaravit diligentissimus Farinac.  
*d. q. 43. n. 130.* & præterea prodest hæc in-  
terrogatio ad capturam personæ nomina-  
tæ, si haberi poterit, secundum *ICTos Pa-*  
*tavinos d. loco.* Delrium. *d. q. 1. concl. 1.* qui  
allegant Salicerum. *in L. absentem. n. 9. C.*

de

114 *Qu. VII. An unius Sage denunc.*  
*de accusat. Boer. decis. 319. n. 4.* Svaderem  
tamen iudici ut diligenter hoc in casu  
circumstantias personarum nominata-  
rum consideret, ne temerè ex eiusmodi  
*unius* denūciatione statim vel absentem  
nominatum citari, vel præsentem capi  
iubeat, quoniam utrumq; hoc in crimine  
veneficii cum infamia ac perpetuo pro-  
bro coniunctum est: quæ causa est ut ex-  
istimem potius, ob *unius* Sage de se con-  
fessæ solam denunciationem, personam  
nominatam, si hæc *bona & integra sit fama*,  
adeò ut possit propter mores vitæ ante  
actæ haberi pro viro probò, & ab hoc cri-  
mine alieno, nec citari neq; capi cum in-  
famia debere, præsertim si hæc *unius* Sage  
nominatio facta fuerit *ante pœnitentiam*  
*criminis*; quippè præsupposita scilicet *per-*  
*sona nominata bonâ famâ*, & seclusa *pœniten-*  
*tia rei nominâtis*, facile accidere posset, ut  
complex criminis, aut denunciati privi-  
legio veniam speret, aut eius odio cupiat  
illum eodem supplicio perire, ut habetur  
*in L. fin. C. de accusat. & cap. veniens. de testis*  
*bus.* quamdiu enim in Reo pœnitentiæ  
signa

*sufficiat ad torquendum.* 115

igna exteriora nondum apparent hoc  
presumi potest, nimirum mentiendo vel  
lenocere aliis.

Unde non refragarer, si Reus post  
confessionem de se ipso factam, & *senten-*  
*tiam condemnationis latam*, ad seriam pœ-  
nitentiam & dolorem criminum dispo-  
situs, sicq; pœnitens in foro exteriori ap-  
pareat, tuncq; denunciationē à se antea  
factam constanter repetat, hoc casu per-  
sonæ denuntianti plus fidei tribui debe-  
re, atq; si nonnulla *levia adminicula* con-  
currant, quę iudicis animū in super in for-  
mare ac leniter flectere possint, hoc casu  
ob *unius nominationem*, contra nomina-  
tum inquiri, eumque etiam capi posse;  
præsertim cum & fieri queat & soleat, ut  
*unius* nominantis & pœnitentis denun-  
ciatio in nostro crimine talis esse possit,  
ut iudex aliquibus concurrentibus cir-  
cumstantiis, meritò sibi persvadeat, no-  
minatum vehementer urgeri, & propter  
summam dicti verisimilitudinem, eum  
verè inculpari, quo etiam casu nec refra-  
garer, eiusmodi adminiculis concurren-  
tibus,

126 *Qu. VII. An unus Saga denunci.*

tibus, ex *unius* complicitis nominatione  
posse iudicem tutâ conscientiam nomina-  
tum quæstioni admovere, veruntamen  
ut antea, ex *Mascardo & Delrio* monui, de-  
bent ea adminicula esse *gravia & urgen-*  
*tia.*

Quod si quis dixerit, nunquam sciri  
an *pœnitentia* in nominante vera sit an  
mentita, adeoq; nec iudicem hac move-  
ri debere; Respondeo, inde hoc sequi,  
non debere iudicem propter solas no-  
minationes quantumvis multiplicatas,  
ullam personam nominatam extremo  
supplicio afficere, quia ad mortem re-  
quiruntur probationes luce promeridia-  
na clariores, quin tamen *consideratis cir-*  
*cumstantiis*, & si Rei denunciantes *pœni-*  
*rentes* sint, propter illas vel ad torturam,  
vel capturam iudex denunciatum con-  
demnare possit, nemo jure dubitabit, si-  
quidem ad capturam *leviores*, ad torquen-  
dum *urgentiores*, sed ad condemnandum,  
*sicuti dixi*, luce meridiana clariores proba-  
tiones requiruntur. *L. fin. C. de probat. c.*  
*sciant. 2. q. 8.* de quo dicam pluribus *in qq.*  
*seqq.* At.

Atquin *inquies*, probatoria per quæ ad Torturam devenitur, non minoris ponderis esse videntur iis; quæ condemnatio sequitur, cum plerumq; per torturam ad condemnationem accedatur: Respondeo, id quidem rectè intelligendo verum esse, attamen inde non benè inferitur: Ex solis depositionibus complicum non licet condemnare, Ergò nec torquere; sicuti nec si inferres: Unius complicis nominatio aliquando sufficit ad capturam; Ergò etiam ad torturam: Sanè alias facili via & omni casu torturam negare poteris, & est manifesta diversitatis hæc ratio, nominationes tametsi plurium solas non sufficere *quoad condemnationem*, quia condemnatio debet inniti *iudiciali certitudini*, at quia *tortura* innititur tantum *verisimilitudini & opinioni*; hinc benè nominationes vel ad inquirendum vel torquendum, consideratis considerandis, suffices repossunt.

Cæterum ut hoc addam, etiam si supra allegati *De. Salicet. Boer. Clarus & Farinac.* inde finitè doceant, in criminibus exceptis

tis

128 *Qu. VI. An unius Sagæ dentant.*

tis unius denunciationem sufficere ad capturam, id quamvis in reliquis exceptis simpliciter admitti possit, attamen ad casum veneficii non nisi cum grano salis est accommodandum, nimirum probè consideratis iis quæ antea diximus, & circumstantiis singulis, ne alioquin iudex bonæ fame ac integræ vitæ, hominem probro afficiat, quod ob universale quoddam odiû quo Sagæ erga genus humanum, tenentur, cupiuntq; omnibus nocere, modis quibus possunt omnibus, facile fieri posset, quod periculum in aliis criminibus exceptis non adeò metuendum, non enim quia v.g. aliquis hæreticus est, aut reus læsæ Majestatis, ideò præsumitur universali quodam odio genus humanum prosequi, unde & his in casibus denunciationi complicum plus fidei jure tribuitur, quam illo.

Disserentiunt ab hac communi sententia, non pauci, *Cynus Angel. Butrio. Immola. Abbas. Gandin. Bonifac. de Vitalis. Guido de Susaria. Ambros. de Bononia*, qui refert sic vidisse praticari, *Blancus. Gomezino. & alii*, quos

quos referunt 1 Cti Patavini apud Peregrinum *d. cons. 2. n. 2.* Delrius. *d. q. 1. concl. 1.* Farin. *d. q. 43. n. 154. de indic. & tort.* qui existimant, nominationem *Unius* solius criminosi facere indicium ad torturam, ob gravitatem & immanitatem criminū exceptorum, quod nō tam mirari quam refutare iuvat, esto enim quod crimina sint atrocissima, dicanturq; excepta, atamen non inde sequitur, in istis quoad omnia à *iure communi* recedendum, vel eo usq; & quantum unusquisq; volet rigorem contrā hos criminosos intendendum, & statim à tortura incipiendum.

Et sanè mirari subit pluribus auctori- bus & magni nominis hanc opinionem, juri & rationi adversam, placere potuisse, sed solent, proch dolor, præsertim *Practi-* ci, more pecudum, antecedentium gre- gem sequi; Unde aut egregiè fallor aut ju- dex Syndicatus subiacebit, qui ex sola u- nius nominatione absq; aliis adminicu- lis torturam decernit; Equidem non dis- simulo Delrium *d. q. 1. concl. 1. in fin.* con- trarium velle & existimare, si quis illam

contrariam Cyni & aliorum sequutus esset sententiam, eum Syndicatui non subiacere, facit enim tot Doctorum, quos secutus est auctoritas, ut dici nequeat ex capite suo vel temere fecisse, aut processisse qui gravium Doctorum & quorundam iudicum praxin doctrinamq; amplexus fuit, licet minus probabilem vel tutam. Ita Delrius, cujus moderationem ut in aliis criminibus exceptis tolerabilem, ita in crimine veneficii nullo modo tutam aut ferendam esse, utpote receptam tribunalium praxi repugnantem, idque ob peculiarem præsumtionem falsitatis, quæ in hoc crimine infectis intervenit; rectè asseruit Tannerus. *ad S. Thoma 22. q. 67. a. 8.*

Invenio nihilominus Delrium. *lib. 5. in app. 2. q. 16. vers. in exceptis verò & privilegiatis.* affirmare, posse nonnunquam unius infamis ac malefici nominationem esse tam verisimilem, ut sola sufficiat ad torturam, *arbitrio iudicis*, ubi tamen non video, qua ratione Delrio in hac re, vel secum ipse, vel cum ea, quam communem sententiam, & juri ac rationi consentaneam

vocat

*sufficiat ad torquendum.* 138

locat in *d. q. 1. concl. 1. in prin. & sine.* satis consentiat.

Ego sanè Judicem ad id non hortarer, neq; etiam existimo ei absolutam seu amplissimam in hoc crimine arbitrandi facultatem relinquendam esse, *de quo dicam pluribus in subseqq.*

### QUÆSTIO VIII.

*An plurium Complicum nominationes sufficere possint ad condemnationem?*

Sunt ex *Itis* nonnulli, qui pluriū denuntiationes etiam sufficere ad condemnationem existimant, pro qua sententia à *Delrio lib. 5. in append. 2. q. 1. concl. 2. vers. probatur auctoritate tenentium.* & à *Farinaccio prax. crim. lib. 1. de indic. & tort. tit. 5. q. 43. n. 71.* citantur *Antonius Gomezius tom. 3. var. resolut. tit. de probat. delict. n. 18.* *Ludovicus Peguerius decis. crim. 5. num. 18.* itemq; *Castrensis, Decianus & Cravetta;* quibus novissimè consentit etiam *Lessius lib. 2. c. 30. n. 39. de j. & j.* ubi ait: *in huiusmo-*